

extinguere: *venite, adoremus* [Epnes. I, 7; III, 12; VI, 16].  
*Ecce arbor, crux Christi, benedictum lignum, signum salutis* [Sap. XVI, 6], in quo et credentes signati estis: *venite, adoremus* [Ephes. I, 15].

*Ecce arbor, crux Christi, benedictum lignum, in quo exaltabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus* [1 Pet. I, 6]: *venite, adoremus*.

IV PUNCTUM. — *Vox interior crucis ad animam.*

Qui me inveniit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino [Prov. VIII, 35]: qui autem in me peccaverit, lædet animam suam; omnes qui me oderunt diligunt mortem [Ib., 36].

In omni terra steti, in omni gente primatum habui, omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi, et in plenitudine sanctorum detentione mea [Eccli. XXIV, 9, 14, 40].

*Veruntamen miraculum meum non te terreat* [Job. XXXIII, 7]. Creator omnium requievit in tabernaculo meo [Eccli. XXIV, 12]. Dextera Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem [Ps. CXVII, 16]. Hæc dicit Dominus [Ezech. XVII, 22]: Exaltavi lignum humile, [Ib., 24] et hoc erit monumentum nominis mei [II Reg. XVIII, 18].

*Veruntamen miraculum meum non te terreat*: spiritus meus dulcis. Nonne a ligno indolcata est aqua [1 amara [Eccli. XXIV, 27; XXXVIII, 5]. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum [Cant. VIII, 6]: tunc deliciis assues [Job. XXII, 26].

V PUNCTUM. — *Vox animæ ad crucem.*

SUMMARUM. — *Tertia imitatio horum verborum Ecclesiæ: O crux, ave, spes unica: hoc passionis tempore, ange piis iustitiam, reisque dona veniam. In hymnis Vexilla Regis, etc.*

*Crux, contemptibile lignum* [Sap. X, 4], lignum humile [Ezech. XVII, 24].

*Crux Christi, forte lignum et imputribile* [Is. XL, 20], lignum suavitatis [Baruc. V, 8], lignum vite his

(1) Istud contigit quando Moyses misit lignum sibi a Domino indicatum in aquas amaras, quæ in dulcedinem versæ sunt. Exod. XV, 25.

## QUINQUE MEDITATIONES DE BONA MORTE.

### PRIMA MEDITATIO.

*Intuitus bonæ mortis.*

I PUNCTUM. — *Primus intuitus respectu præteriti temporis.*

SUMMARUM. — *Iustus quidem mors est malorum omnium finis; impiis autem terminus gaudiorum omnium.*

*Audivi vocem de caelo dicentem mihi: Beati mortui qui in Domino moriuntur; auodo, iam dicit Spiritus, ut*

qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam beatus [Prov. III, 18].

*Crux Christi, spes orbis terrarum* [Sap. XIV, 6], cuncta salus mea et omnis voluntas [II Reg. XXIII, 5]: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Jesu Christi* [Gal. VI, 14]; nec est quidquam ex ea quod non germinet [II Reg. XXXIII, 5].

*Crux Christi, spes orbis terrarum, electa ut sol* [Cant. VI, 9], illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent [Luc. I, 79]; aperi oculos isiorum [IV, Reg. VI, 20], ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem [Act. XXVI, 18].

Adauge nobis fidem [Luc. XVII, 5], iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem [I Tim. VI, 11]: ut crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus [Ephes. IV, 15].

*Crux Christi, quam pulchra es, amica mea! pulchra es, amica mea, suavis et decora.* Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo [Cant. IV, 1; VI, 5; II, 3; VI, 9].

*Crux Christi, terribilis ut castrorum acies ordinata* si consistant adversum me castra, non timebit cor meum [Ps. XXVI, 3].

*Crux Christi, scutum cordis* [Thr. III, 65]!

*Crux Christi, lignum vite, affers fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum*: [Apoc. XXII, 2]: quam pulchra es et quam decora in deliciis! Statura tua assimilata est palmae. Dixi: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus [Cant. VII, 6, 7, 8].

Fructus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas [Gal. V, 22, 25].

Et quid adhuc dicam [Hebr. XI, 52]?

*Crux Christi, fasciculus myrrhæ mihi* [Cant. I, 12]. *Fasciculus myrrhæ mihi super cor* [Jerem. III, 16]:

Ut odore illius perfruat [Exod. XXX, 58]. Gaudet cor meum [Prov. XXIII, 15], consolabitur [II Mach. VII, 6], confortabitur [Is. XLII, 13], gloriabitur [Eccli. XXX, 2]. *Fasciculus myrrhæ mihi super cor, sive in morte, sive in vita* [II Reg. XV, 21].

requiescant a laboribus suis. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit: neque luctus, neque dolor erit ultra. Non esuriunt, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus [Apoc. XIV, 15; XXI, 4; VII, 16]. O mors! bonum est iudicium tuum homini indigentem et qui minoratur viribus, defecto ætate, et cui de omnibus cura est, et incredibili qui perdit patientiam [Eccli. XLI, 5, 4].

*Dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis: gan-*

*dentique vehementer.* Qui expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum: *gaudentque vehementer cum inveniunt sepulcrum.* Ibi impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi robore: et quondam vinciti pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris. Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo [Job III, 22, 21, 22, 17-19].

Non sic impii, non sic [Ps. I, 4]; mors peccatorum pessima [Ps. XXXIII, 22]: extrema gaudii luctus occupat [Prov. XIV, 15]. Idcirco vociferantur, dicentes [Exod. V, 8]: Sicine separat amara mors [I Reg. XV, 52]? O mors! quam amara est memoria tua homini pacem habentem in substantiis suis, viro quieto, et cuius viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum [Eccli. XII, 1, 2]! Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens [Sap. V, 8, 9].

II PUNCTUM. — *Secundus intuitus bonæ mortis respectu præsentis temporis.*

SUMMARUM. — *Morientium impiorum deplorandus et flebilis status. Iustorum morientium placidus et felix status, etiam in juventute.*

*Beati mortui qui in Domino moriuntur; non sic impii, non sic: mors peccatorum pessima.* Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit [Prov. I, 27], commovebit illos a fundamentis, et usque ad supremum desolabuntur: et erunt gementes, et memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et tradent illos ex adverso iniquitates ipsorum. Turbabitur timore horribili, dicentes intra se: Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus. Nati continuo desivimus esse: et virtutis quidem nullum signum valui-mus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus. *Mors peccatorum pessima* [Sap. IV, 19, 20; V, 2, 3, 7, 15].

Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis; visi sunt oculis insipientium mori, et assimilata est afflictio exitus illorum; illi autem sunt in pace, et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. Qui confidunt in illo intelligent veritatem; et fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donum et pax est electis ejus [Id., III, 1-6, 9].

Iustus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Consummatus in brevi, explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius, propter hoc prope-ravit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, et non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: quoniam gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius. Con-

demnat autem justus mortuus vivos impios, et juven-tus celerius consummata, longam vitam injusti. Videbunt enim finem sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, et quare nuntiavit illum Dominus; videbunt et contentem eum: illos autem Dominus irridebit. Et erunt post hæc decedentes sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum [Id., IV, 7, 13-19].

*Audivi vocem de caelo dicentem mihi: Justus perit et non est qui recogitet in corde suo. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione sua* [Is. LVII, 1, 2]. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus [Ps. XL, 4].

III PUNCTUM. — *Tertius intuitus respectu futuri temporis.*

SUMMARUM. — *Nihil auferunt impiis ex hac vita in alteram, præter sola sua peccata: iustorum vero bona opera sequuntur illos post mortem.*

*Beati mortui qui in Domino moriuntur; opera enim illorum sequuntur illos.* Non sic impii, non sic [Apoc. XIV, 13]. Dormierunt somnum suum, et nihil inven-nerunt omnes viri divitiarum in manibus suis [Ps. LXXXV, 6]. Cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. *Mors peccatorum pessima* [Ps. XLVIII, 17, 18].

Vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum; et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum; et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutio-nem; nationis enim inique diræ sunt consummationes [Sap. III, 11, 17-19].

Beatus dives qui inventus est sine macula: et qui post aurum non abii, nec speravit in pecunia et the-sauris; qui probatus est in illo, et perfectus est: qui potuit transgredi, et non est transgressus: fecit mirabilia in vita sua. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. In requie sua replebitur bonis suis, et anima illius cum ipso delectabitur [Eccli. XXXI, 8, 10, 9, 11, 5, 24]: quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire ad tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam [Iob. IV, 11, 12].

*Beati mortui qui in Domino moriuntur; opera enim illorum sequuntur illos. Opera sequuntur: fiducia magna erit coram summo Deo, cum surrexerit ad iudicandum Deus* [Iob. XXXI, 14]. Tunc respondebunt ei dicentes: Domine, te vidimus esurientem, et pavimus te: sitientem, et dedimus tibi potum: hospitem, et collegimus te: nudum, et cooperuimus te: infirmum aut in carcere, et venimus ad te [Math. XXV, 37-39]. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomi-ni tuo da gloriam* [Ps. CXIII, 1]: neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante fa-



ciem tuam, sed in miserationibus tuis multis (Dan. IX, 18). Domine, omnia opera nostra operatus es nobis (Ps. XXVI, 12). Servi inutilis sumus, sed non mihi tuo da gloriam (Luc XVII, 10).

*Beati mortui qui in Domino moriantur.* Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini (Ps. CXXVI, 12). Tunc dicit rex his (Math. XXV, 34): Ecce venio cito, et merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua (Apoc. XXII, 12). Dicitur iusto quoniam bene, quoniam fructum ad inventionem suarum comedit (Is. III, 10). Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituent: intra in gaudium Domini tui (Math. XXV, 21).

## II MEDITATIO.

*Exempla bonæ mortis.*

**PRIMUM PUNCTUM.** — *Repetit hæc exempla anima christiana ex novissimis sanctorum verbis.*

**SUMMARIUM.** — *Novissima quorundam sanctorum verba: sancti patriarchæ Jacob morientis in fide Salvatoris, Sansonis mortem sibi inferentis simul et inimici Dei sui, Eleazar senis medius inter cruciatos martyrii, sancti Simeonis habentis inter manus Jesum infan-tem, sancti Stephani videntis Jesum et orantis pro inimicis suis, sancti Pauli intuitus instantem sibi mortem, sancti Dominici, sancti Francisci Assisiani recitantis totum hunc psalmum, sancti Petri Celestini recitantis hunc psalmum, sancti Ludovici Galliarum regis, sancti Burchardi episcopi Herbiolen-sis, sanctæ Theresiæ, cujus anima evolavit sub specie columbæ, sancti Nicolai Tolentinensis videntis Jesum, sancti Thomæ Aquinatis, sanctæ Gorgoniæ quæ fuit soror sancti Gregorii Nazianzeni.*

*Audivi vocem de celo dicentem mihi: Beati mortui qui in Domino moriuntur.*

*Audiri: Credidi, propter quod locutus sum. Ego dixi in excessu meo: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (Ps. CXV, 10, 11, 15).*

*Audivi vocem dicentium (Apoc. V, 11, 12).*

*Salutare tuum expectabo, Domine (Gen. XLIX, 18). Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis. Moriatur anima mea cum Philisthiim (Judic. XVI, 28, 30).*

*Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia, cum a morte possem liberari, duos corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior (II Mach. VI, 50).*

*Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tue Israel (Luc. II, 29, 32).*

*Ece video caelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. Domine Jesu, suscipe spiritum meum, Domine, ne statuas illis hoc peccatum (Act. VII, 55, 58, 59).*

*Tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam redde mihi Dominus in illa die justus Judex (II Tim. IV, 6, 8).*

*Ego ad te venio, Pater sancte (Joan. XVII, 11). Voce mea ad Dominum deprecatus sum; effundendo in conspectu ejus orationem meam, in delictis ex me spiritum meum. Dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justii, donec retribuas mihi (Ps. CXLI, 2-4, 6, 8).*

*Omnis spiritus laudet Dominum (Ps. CL, 6).*

*Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum (Ps. V, 8).*

*Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini (Ps. LXXXIII, 2).*

*Cor contritum et humiliatum Deus non despicies (Ps. L, 19).*

*In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum (Ps. XXX, 2).*

*Veni, dilecti mei (Cant. VII, 11).*

*In pace in idipsum dormiam, et requiescam: quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituiti me (Ps. IV, 9, 10).*

**II PUNCTUM.** — *His exemplis excitat se anima christiana ad præparandam sibi bonam mortem.*

**SUMMARIUM.** — *Excitat se estimatione sortis sanctorum et necessitate imitandi illorum vitam.*

*Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum (Hebr. XI, 15; XII, 2). Laudemus virum gloriosum, homines divites in virtute. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Illi viri misericordiam sunt, quorum pietates non defuerunt; et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudes eorum nuntiet Ecclesia (Eccle. XLIV, 1, 6, 7, 10, 15-15).*

*Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris et patientiæ (Jacob. V, 10). Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt, quorum inventes exitum conversationis, imitandi fidem (Hebr. XIII, 7).*

*Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia (Num. XXIII, 10). Confortare igitur, et esto robustus valde: et custodias, et facias omnem legem (Josue. I, 7), ut ambules in via bona, et calles justorum custodias (Prov. II, 20).*

## III MEDITATIO.

*Desideria bonæ mortis.*

**PRIMUM PUNCTUM.** — *Desideratur ex lætæ vitæ.*  
**SUMMARIUM.** — *Tædium vitæ tot et tantis miseriis immersa, lætium vitæ tot peccatis et peccandi occasio-nibus obnoxia.*

*Tædet animam meam vite mee (Job X, 1): melius est mihi mori quam vivere (Jon. IV, 9). Militia est vita hominis super terram: et sicut dies mercenariæ, dies ejus. Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas annumeravi mihi. Si dormiero, dicam: Quando consurgam? et rursus expectabo vesperam, et replebor doloribus usque ad tenebras. Si dixerò: Consolabor me lectulus meus, et revelabor loquens mecum in strato meo: terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.*

*Quamobrem elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea (Job VII, 1-4, 15-15). Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei (Is. XXXVIII, 16): melior est mors, quam vita amara: et requies æterna, quam languor perseverans (Eccle. XXX, 17): et dies mortis die nativitatæ (Eccle. VII, 2). Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: multum incolata fuit anima mea (Ps. CXIX, 5, 6)!*

*Quis det ut veniat petilo mea, et quod expecto tribuat mihi Deus? Et qui cepit, ipse me conterat: solvat manum suam et succidat me? Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non pareat, nec contradicam sermonibus sancti. Quare misero data est lux, et vita his qui in amaritudine animæ sunt (Job VI, 8-10; III, 20; X, 19)? Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Peccatum seduxit me, et occidit (Rom. VII, 11). Fuissem, cum junior essem, priusquam oberrarem (Eccle. LI, 18): quando Deus erat in tabernaculo meo, quando erat Omnipotens mecum (Job. XXIX, 4, 5).*

*Melius est mihi mori quam vivere; neque enim melior sum (II Reg. XIX, 4). Torrentes iniquitatis conturbaverunt me (Ps. XVII, 5), et pericula inferni invenerunt me (Ps. CXIV, 5). Lex Domini immaculata (Ps. XVIII, 8), lex quidem sancta, lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mee, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (Rom. VII, 12, 14, 19, 22-25).*

**II PUNCTUM.** — *Desideratur mors ex spe æternorum bonorum.*

*Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia (Num. XXIII, 10). Canctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea (Job XIV, 14). Clamavi ad te, Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Educ de custodia animam meam, ad confidendum nomini tuo (Ps. CXLI, 6, 8): Domine, libera animam meam. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est (Ps. CXIX, 2, 5)! Sufficit mihi, Domine: tolle animam meam (II Reg. XIX, 4). Quemadmodum desi-*

*derat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei (Ps. XLI, 2, 3)?*

*Quando? quando? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!*

*Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus optem est, et quid eligam ignoro. Coaretor autem et duobus: desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius. Multo magis melius (Philip. I, 21, 23), non contemplantibus nobis quæ videntur, sed ea quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.*

*Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam et in hoc ingemisimus, habitationem nostram, quæ de celo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemisimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed super vestiri: ut absorbeat quod morale est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem). Audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et præsentem esse ad Dominum; et ideo contentissimus, sive absentes, sive presentes, placere illi (II Cor. IV, 18; V, 1-9).*

**CONCLUSIO.** — *Desiderium bonæ mortis temperat christiana fortitudine et patientia.*

*Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. Utinam perissemus inter fratres nostros coram Domino (Num. XX, 9).*

*Expecta Dominum, viriliter age: et confortetur cor tuum, et sustine Dominum (Ps. XXVI, 14). Qui seminavit in lacrymis, in exultatione metent. Eantes ibant et flebant, mittentes semina sua (Ps. CXXV, 5, 6) venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminavit in carne sua, de carne et metet corruptionem: qui autem seminavit in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habebimus, operemur bonum (Gal. VI, 8-10); sive enim vivimus, Dominum vivimus: sive morimur, Dominum sumus; sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus (Rom. XIV, 8).*

## IV MEDITATIO.

**PSALMUS DE BONA MORTE (1).**

**PRIMUM PUNCTUM.** — *Textus psalmi.*

*Dominus regit me, et nihil mihi deerit; nam et si*

(1) Continentur hoc psalmo quæcumque requiruntur imprimis ad christianam mortem; hæc autem sunt, præ-



ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum;

Et calix meus inebrians quam præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus viæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem terram (Ps. XXII, 4, 4-6).

II PUNCTUM. — Paraphrasis hujus psalmi.

SUMMARIUM. — Nihil est timendum justo morienti, cum adsit illi præsens Deus. Crux Christi est solatium morientis christiani, sanctum viaticum animam lætificat, et corroborat adversus omnes ipsius hostes. Extremæ unctionis finis. Christianus patienter vivit, et delectabiliter moritur. Mirabilis securitas animæ et fiducia in Deo. Spes et suspiria animæ aspirantis in patriam cælestem.

Si ambulavero in medio umbræ mortis: cum venerit interitus, non timebo mala (Prov. I, 27).

Non timebo dolores mortis, torrentes iniquitatis (Ps. XVII, 5), tormentum mortis, et quod a nobis est iter (Sap. III, 1, 5).

Non timebo, quoniam tu mecum es: quoniam a dextris es mihi ne commovear. Propter hoc letatum est cor meum, et exultavit lingua mea: in super et caro mea requiescet in spe (Ps. XV, 8, 9).

Non timebo in medio umbræ mortis, quoniam tu mecum es: quia tu lucerna mea, Domine: et tu, Domine, illuminabis tenebras meas (II Reg. XXII, 29). Consurgam cum sedero in tenebris: Dominus, lux mea est (Mich. VII, 8). Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo (Ps. XXVI, 1)?

Non timebo dolores mortis, quoniam tu mecum es, quoniam tu es patientia mea, Domine (Ps. LXX, 5).

Non timebo tormentum mortis et quod est a nobis iter: quoniam tu mecum es, robur meum et Salvator meus, et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus viæ meæ (II Reg. XXII, 2).

Non timebo torrentes iniquitatis.

Cur timebo in die mala (Ps. XLVIII, 6)? Signasti quasi in sacco delicta mea: sed curasti iniquitatem meam (Job. XIV, 17).

Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Virga et baculus, crux Christi (I Cor. I, 47), principatus super humerum ejus (Is. IX, 6), sceptrum hereditatis ejus (Jerem. LI, 19), virga regni (Ps. XLIV, 7), baculus gloriosus (Jer. XLVIII, 17).

Crux Christi. Ipse est vita tua (Deut. XXX, 20); et erit vita tua pendens ante te (Id., XXVIII, 66).

sentia Dei per seipsum, et per gratiam suam, crux Christi ante oculos et inter manus moriendi christiani, sanctissimum viaticum corporis et sanguinis Jesu Christi, sacramentum extremæ unctionis, cælestis et suavis consolatio in libendo calice mortis, certa fiducia in misericordia Dei, et firma spes æternæ felicitatis.

Beati mortui qui in Domino moriuntur (Apoc. XIV, 13) ante quorum oculos Jesus Christus crucifixus est (Gal. III, 1). Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus (Gen. V, 29).

Virga et baculus, crux Christi, quam sicut anchoram, habemus animæ tutam ac firmam (Hebr. VI, 19).

Crux Christi, scutum meum, et cornu salutis meæ (II Reg. XXII, 5).

Crux Christi, solatium vitæ nostræ (Tob. X, 4), requies morientium (Judic. XX, 45): quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra (II Cor. I, 5).

Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.

Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus (Ps. LXVII, 11), panem desiderabilem (Dan. X, 3), paratum panem de cælo, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem (Sap. XVI, 29): panem cæli (Ps. LXXVII, 24), carnem filii hominis et ejus sanguinem (Joan. VI, 54): panem angelorum, qui de cælo descendit, et dat vitam mundo (Ps. LXXVII, 25): ut si quis ex ipso maducaverit, non moriatur (Joan. VI, 53, 50).

Parasti adversus eos qui tribulant me. Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua (Num. X, 35). Confundantur et revertentur querentes animam meam (Ps. XXXIV, 4). Non timebo, quoniam tu mecum es, adversus eos qui tribulant me. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo (Ps. XXVI, 5). Hæc dicit Dominus: Nolite timere; non est enim vestra pugna, sed Dei (Paral. XX, 15). Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit (Sophon. III, 17).

Impinguasti in oleo caput meum (Dan. IV, 11). Hæc est interpretatio.

Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum; sed ora Dominum, et ipse curabit te (Eccli. XXXVIII, 8, 9).

Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesie, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei (Jacob. V, 14, 15).

Et calix meus inebrians, quam præclarus est!

Calix meus, amara mors; calix meus (I Reg. XV, 32), quem dedit mihi Pater (Joan. VIII, 41). Pater et dominator vitæ meæ. Calix meus (Eccli. XXIII, 1): ipse est in quo bibit Dominus meus (Genes. XLIV, 5) dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua (Math. XXVI, 42).

Ipse est in quo bibit Dominus meus. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (Ps. CXV, 45); gloria magna est sequi Dominum (Eccli. XXIII, 58), sive in morte, sive in vita (II Reg. XV, 21). Beati mortui qui in Domino moriuntur (Apoc. XIV, 15), inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente vo-

luptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (Ps. XXXV, 5, 40). Calicem accipiam: anima autem mea exultavit in Domino, et delectabitur super salutari suo; omnia ossa mea dicent: Quis similis tibi (Ps. XXXIV, 9, 10)?

Misericordia tua subsequetur me.

Domine, spes a juventute mea, in te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus: ne projicias me in tempore senectutis; cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me (Psal. LXX, 5, 6, 9). Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo: quia fortitudo mea et laus mea factus es mihi in salutem (Is. XII, 1, 2). Non timebo: misericordia tua subsequetur me. Non timebo. Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram, misericordia tua subsequetur me (Job. XIV, 15). Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis (Rom. VIII, 34, 33, 34).

Ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum (Ps. LXXXIII, 2, 3). Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Ps. LXXXVI, 5).

Credo videre bona Domini in terra viventium (Ps. XXXI, 15). Expectabo Deum Salvatorem meum: audiet me Deus meus (Mich. VII, 7). Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus (Ps. XXVI, 4). Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Delecti caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Quia ecce qui elongant se a te, peribunt: mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam (Ps. LXXXII, 25-28).

## V MEDITATIO.

Praxis vite accipiendi viatici, distincta per varias animæ occupationes.

PRIMA OCCUPATIO animæ penitentis, et mortem libenter excipientis.

SUMMARIUM. — Utilissimum erit conformare huic praxi communionem unam singulis mensibus, aut saltem annis. Exercitium penitentiae. Oratio animæ libenter excipientis mortem.

En ego morior (Genes. XLVIII, 21); ego ingredior viam universæ terræ (III Reg. II, 2). Benedictus Dominus, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum: Deus noster, Deus salvos facienti; et Domini Domini exitus mortis (Ps. LXVII, 20, 21).

Præoccupemus faciem ejus in confessione (Ps. XCIV, 2) (1).

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam (Ps. L, 5). Deus, propitius esto mihi peccatori (Luc. XVIII, 15). Vide humilitatem meam et laborem meum: et dimitte universa delicta mea (Ps. XXIV, 18). Jesu fili David, miserere mei (Marc. X, 47); miserere mihi, Domine quoniam infirmus sum; miserere mei (Ps. VI, 5), quia homo peccator sum, Domine (Luc. V, 8).

Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. (Joan. XI, 27). peccatores salvos facere, quorum primus ego sum (I Tim. I, 15). Domine, qui amas animas (Sap. XI, 27), cor contritum et humilitatum, Deus, non despicias (Psal. L, 19).

Justus es, Domine, et omnia judicia tua justa sunt, et omnes viæ tuæ misericordia, iudicium et veritas. Et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. Quoniam non obediimus præceptis tuis, ideo tradisti sumus in mortem. Et nunc, Domine, magna judicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, et non ambulavimus sincere coram te.

Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum; expedit enim mihi mori magis quam vivere (Tob. III, 2-6). Præcipe: exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te (Ps. XXVII, 2), per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis (Thess. V, 9, 10).

Mortuus est: expedit mihi mori magis quam vivere.

Mortuus est pro nobis: eamus et nos, ut moriamur cum eo: expedit mihi mori magis quam vivere (Joan. XI, 16).

Mori paratus sum (Act. XXI, 15): paratus sum, et non sum turbatus: expedit mihi mori magis quam vivere (Ps. CXVIII, 60).

II OCCUPATIO animæ expectantis sacerdotem adventantem cum sanctissimo sacramento.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiat: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (Ps. LXVII, 2, 5). Ecce sponsus venit, exite obviam ei (Math. XXV, 6); ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi (Joan. I, 29). Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni. Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt (Apoc. XIX, 7, 9). Ecce Deus noster: ecce Deus Salvator noster (Is. XXV, 9; XII, 2), Deus qui pascit me ab adolescentia mea (Gen. XLVIII, 15).

Exite obviam ei: iter facite ei qui ascendit (Ps. LXVII, 5); Dominus enim prope est (Philip. IV, 5).

(1) Seponitur hic practicum esse confessionem.



Dominus meus et Deus meus (Joan. XX, 28) : et tu venis ad me!

Centurio ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus: et tu venis ad me (Math. III, 14; VIII, 8)!

Elizabeth exclamavit voce magna, et dixit: Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Et tu venis ad me (Luc. I, 41-45)!

Extimuit David Dominum, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini? et noluit divertere ad se arcam Domini: et tu venis ad me (II Reg. VI, 9, 10).

Simon Petrus procidit, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine: et tu venis ad me (Luc. V, 8)!

III OCCUPATIO AD INGRESSUM SACERDOTIS, ET AD PRÆSENTIAM DOMINI JESU CHRISTI.

Veni, Domine (Apoc. XXII, 20): anima mea desideravit te (Is. XXVI, 9); desiderio desideravi hoc pascha manducare (Luc. XXII, 15).

Veni, Domine: erravi, sicut ovis quæ perit: quære servum tuum, Domine. Veni, Domine (Ps. CXVIII, 176); non est opus valentibus medicus (Math. IX, 12): ecce quem amas, infirmatur (Joan. XI, 5). Sana me, Domine, et sanabor (Jer. XVII, 14); Domine, miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi (Ps. XL, 5). Ecce Deus Salvator meus (Is. XII, 2): Hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis (Math. XXI, 9). Adorate eum, omnes angeli ejus (Ps. XCVI, 8). Saltem vos amici mei (Job. XIX, 21), venite adoremus, et proccidamus, et floremus ante Dominum qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus pasce ejus, et oves manus ejus (Ps. XCIV, 6, 7). Dominum Deum meum adoro: quia ipse est Deus vivens (Dan. XIV, 24).

Domine, miserere mei, sana animam meam.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur (Math. VIII, 8).

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur.

Surge, comede (1); grandis enim tibi restat via (III Reg. XIX, 7). Prosperum iter faciet nobis Deus (Ps. LXVII, 20).

IV OCCUPATIO ANIMÆ COLLOQUENTIS CUM JESU POST ACCEPTUM VIATICUM.

Ex ego morior, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me (Gal. II, 19, 20).

Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es (Apoc. XI, 17).

Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem

1) Ad hæc verba sacerdotis: Accipe, frater, viaticum.

(Sap. XVI, 15), loquere, Domine, quis audit servus tuus (I Reg. III, 9): dic animæ meæ: Salus tua ego sum. Confundantur et reverentur quærentes animam meam (Ps. XXXIV, 5, 4).

Dic animæ meæ: Confide, remittantur tibi peccata tua (Math. IX, 2).

Dic animæ meæ: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor (Is. XLIII, 25).

Dicam Deo: Noli me condemnare (Job. X, 2). Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Ps. CXLI, 2). Dic animæ meæ: Neque ego te condemnabo (Joan. VIII, 41).

Dic animæ meæ: Hodie salus domo huic facta est (Luc. XIX, 8): et miserere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum (Ps. CXVIII, 152).

Dic animæ meæ: Hodie tecum eris in paradiso (Luc. XXIII, 45).

Vicit in me Christus. Tenui eum, nec dimittam (Cant. III, 4); non dimittam te, nisi benedixeris mihi (Gen. XXXII, 26). Tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos (Jerem. XIV, 9); mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies, Mane nobiscum (Luc. XXIV, 29), ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus: Prevalui adversus eum. Mane nobiscum (Ps. XII, 4, 5), nequando rapiat, et non sit qui eripiat (Ps. XLIX, 22). Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est tecum; amici mei et proximi mei, et qui juxta me erant, de longe steterunt. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me: intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ (Ps. XXXVII, 11, 12, 22, 25). Mane nobiscum; ecce nunc in pulvere dormiam: et si mane me quaesieris, non subsistam (Job. VII, 21).

#### CONCLUSIO MEDITATIONIS.

Canticum christiani moribundi post acceptum viaticum.

Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum; quod parasti ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel (Luc. II, 29-32).

Nunc dimittis servum tuum, Domine; jam letus moriar (Genes. XLVI, 30). Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus (Ps. CXXI, 4). Respice in faciem Christi tui (Ps. LXXXIII, 40). Memento, Domine, omnis mansuetudinis ejus (Ps. CXXXI, 1) qui pro transgressoribus rogavit (Is. LIII, 12): et dimitte universa delicta mea (Ps. XXIV, 18), et dona mihi animam meam pro qua rogo (Ezech. VII, 5).

Ecce video caelos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei (Act. VII, 55) per fidem quod est in me (Id., XXVI, 18). Jam letus moriar; in domum Domini ibimus (Ps. CXXI, 4). Letus moriar; Dominus est susceptor animæ meæ (Ps. LIII, 6).

Vide Jesum. Amen, veni Domine Jesu (Apoc. XXII, 20); Domine, suscipe spiritum meum (Act. VII, 58).

Credidi, suscipe spiritum meum (Ps. CXV, 10).

Dilexi, suscipe spiritum meum (Ps. CXIV, 1).

Speravi, suscipe spiritum meum (Ps. LXX, 1).

Veni, Domine Jesu; in manibus tuis sortes meæ; in manus tuas commendo spiritum meum (Ps. XXX, 16, 6): redemisti me Domine Deus veritatis. Commendo spiritum meum. In te, Domine, speravi, non confundar in æternum (Ps. XXI, 2).

Commendo spiritum meum. In nomine Patris et Filii,

et Spiritus sancti (Math. XXVIII, 19);

In nomine Patris, qui dedit illum (Eccle. XII, 7);

In nomine Filii, qui mortuus est pro nobis (I Thess. V, 10);

In nomine Spiritus sancti, qui datus est nobis (Rom. V, 5).

In pace in idipsum dormiam et requiescam (Ps. IV, 9).

Veni Domine Jesu. Jesu, Jesu, Jesu.

Velociter exaudi me, Domine: deficit spiritus meus; suscipe spiritum meum (Ps. CXLII, 7).

## QUATUOR MEDITATIONES

### DE RESURRECTIONE JESU CHRISTI.

#### PRIMA MEDITATIO.

Exercitium fidei et spei per colloquium Jesu et hominis.

PRIMUM PUNCTUM. — Exercitium fidei.

SUMMARUM. — Jesus redivivus exhibet homini vulnera sua: et agnoscitur ab illo. Jesus scrutatur fidem hominis. Homo proficitur illam ejusque testimonium accipit a Jesu, cujus resurrectionem celebrat cantico laudis.

Jesu. — Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis.

Homo. — Dominus meus et Deus meus (Joan. XX, 27-29).

Jesu. — Beati qui non viderunt, et crediderunt (Ps. III, 6). Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi (Ps. LXXXVII, 5). Estimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio (Ibid., 6), inter mortuos liber. Exsurrexi et ad huc tecum sum (Ps. CXXXVIII, 18) credis hoc?

Homo. — Utique, Domine, ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti (Joan. XI, 26, 27); scio enim quod Redemptor meus visit (Job. XIX, 25). Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (Rom. IV, 25); tanquam ovis ad occisionem ductus est: et sicut agnus coram tendente se (Act. VIII, 32). Accubans dormivit ut leo (Numer. XXIV, 9); vicit leo de tribu Juda (Apoc. V, 5): et expoliatis principatus et potestates, tradidit confidenter, palam triumphans illos in semetipso (Colos. II, 15). Utique, Domine, ego credidi.

Jesu. — Beatus es, quia caro et sanguis non revelavit tibi sed Pater meus, qui in cœlis est (Math. XVI, 17).

Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam (Ps. CXXXVIII, 2): beatus es.

Homo. — A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris (Ps. CXVII, 25); hoc

factum est et tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo (II Machab. I, 22). Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini; Deus Dominus, et illuxit nobis (Ps. CXVII, 24-27).

Benedic, anima mea, Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. Confessionem et decorem induisti amictus lumine sicut vestimento. Poniis nubem ascensum tuum; ambulans super pennas ventorum (Ps. CIII, 1-3), sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem (Math. XXIV, 27). Absorpta est mors in victoria (I Cor. XV, 54). Christus resurgens ex mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur (Rom. VI, 9).

Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem (Apoc. V, 12). Agnus, qui occisus est; vicit leo.

Ubi est, mors, victoria tua (I Cor. XV, 55)? Vicit leo de tribu Juda: ante faciem ejus ibit mors (Habac. III, 5): præcipitabit mortem in sempteraum (Is. XXV, 8).

Vicit leo de tribu Juda: egredietur diabolus ante pedes ejus (Habac. III, 5).

Vicit leo de tribu Juda: qui educit vincetos in fortitudine, similiter eos qui habitant in sepulchris (Ps. LXXVII, 7).

Vicit leo de tribu Juda. Rugiet, quis non timebit (Amos. III, 8)? Malos male perdet (Math. XXI, 41). Paveant illi, et non paveam ego; paveant illi (I Jac. XVII, 18) qui dixerunt Deo: Recede a nobis (Job. XXI, 14); nolimus hunc regnare super nos. Non paveam ego; scio enim quod Redemptor meus visit (Luc. XIX, 14).

II PUNCTUM. — Exercitium spei.

SUMMARUM. — Spei objectum, actus, præmium, fiducia et gaudium.

Jesu. — Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: et omnis qui vi-